



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 82. Bulla ac Decretales a Luthero Wittembergæ publice combusti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Secul. XVI.  
A. C. 1520.

## §. LXXXI.

*Lutheri libri in pluribus Germaniæ  
urbibus combusti.*

*Cochl. ad an.*  
1520. p. 27.

Interea vero Pontificis Constitutio in potissimis Germaniæ Provinciis (excepta Saxonica) debita submissione executioni dabatur: nam Lovaniensis ac Coloniensis Universitates, cum iudicium suum a Sacra Sede approbatum gaudent, Lutheri libros publice concremarunt. Harum exemplum Moguntinus quoque ac Trevirensis Electores urgentibus Papæ Nunciis sequebantur, id licet Erasmo ac pluribus theologis dissuadentibus, qui rem ad extrema deduci, animosque exasperari nolebant.

## §. LXXXII.

*Bulla ac Decretales a Luthero Wittembergæ publice combusti.*

*Sleid. in com.*  
l. 2. p. 61.

Lutherus acceptam infamiæ notam ulturus, instigantibus Wittembergensis Scholæ Doctoribus, Leonis X. Bullam, ac Prædecessorum Pontificum Decretales Doctoribus, cunctisque universitatis Scholaribus præsentibus comburi iussit. Inanis hæc stultaque vindictæ executio facta est in medio fori publici decima Decembris: Postera vero die Lutherus sermonem

monem habuit, ubi rabie accensus populum hortabatur, ut Pontificis jugum, si animæ suæ salutem cordi haberent, protinus excuterent; paulo post edictum valde prolixum evulgavit, quo rei gestæ rationem reddens, Papam insimulabat, quod tyrannicum in Ecclesia imperium exerceret, Christi doctrinam depravaret, ac legitimam Magistratum potestatem usurparet. Observat quoque Pallavinus quod similis combustio in duobus vel tribus aliis Germaniæ locis confecta fuerit a Martini fautoribus, & quod admirationi est, non desuerint, qui Lipsiæ coram ipso Georgio Duce Saxonici tam execrandum scelus ausi sint.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
I. c. 22. p. 81.

§. LXXXIII.

*Propositiones ex Decretalibus à Wittembergenfi Schola extractæ.*

Tandem etiam Wittembergenfis Universitas, ut majorem adhuc invidiam Romanæ Curie conflaret, triginta circiter propositiones ex Decretalibus excerpfit, ac publicavit, quas inter nonnullæ alio longe modo, quam in illis habentur, prolatae fuerunt. Potissimæ supremi Pontificis auctoritatem concernunt, uti sunt sequentes: I. Potestas Pontificia comparatur lucis, Regalis verò lunæ splendoribus; illa nec Conciliis, neque S.

*Hist. Eccles. Tom. XXXIII. Na Ca*